



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

1. Quid sit abortus? Et docetur, quod ille, qui dedit causam electionis
foetus animati, est verus homicida, & tenetur omnibus poenis Iuris
Canonici, & Civilis, quibus tenentur illi, qui hominem iam ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

TRACTATUS SEXTVS;
DE ABORTV,
IVXTA BVLLAS SIXTI V.
ET GREGORII XIV.

Atque de Absolutione, & Dispensatione pro
excommunicatione, & irregularitate
illius agitur.

RESOLVTIO PRIMA.

Quid sit Abortus?

Et docetur, quod ille, qui dedit causam ejectionis foetus animati, est verus homicida, & tenetur omnibus penis iuris Canonici & civilis, quibus tenentur illi qui hominem jam natum peremerunt, ac proinde fit irregularis.

Si vero fetus non sit animatus, licet procurare abortum non sit propriè homicidium, est tamen grave peccatum. Ex part. 7. tract. 5. Ref. 1.



ABORTVS est ejectio foetus immaturi, potest autem foetus immaturè ejici, vel antequam animatus est, vel post animationem: & quidem si animatus est, ille qui dedit causam ejectionis, est verus homicida, & tenetur omnibus penis Iuris Canonici, ac Civilis, quibus tenentur illi, qui hominem jam natum peremerunt, ac proinde fit irregularis.

2. Si verò fetus necdum sit animatus, licet procurare talem abortum non sit verum homicidium, est tamen grave peccatum: de quo Tertull. in *Apolog. c. 9.* Nobis homicidio semper interdicto, etiam conceptum utero dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet; homicidij festinatio est prohibere nasci, nec refert natam quis eripiat animam, an distubet nascentem; homo est qui futurus est, nam fructus in semine est, & S. P. August. *lib. 1. de nupt. & concupis. cap. 15.* cujus verba referuntur *cap. aliquando 32. quest. 2.*

RESOL. II.

Quid est procurare abortum? Ex part. 7. tractat. 5. Ref. 2.

§. 1. **R**espondeo nihil aliud esse nisi studiosè querere, siue per se, siue per alium, ut foetus immaturè ex utero matris ejiciatur. Tribus autem modis procuratio hæc contingere potest. Primò impediendo ne foemina concipiat, v.g. si vit ante concubitum potionem aliquam foeminae præbeat, per quam ea ster-

ilis evadat: verum hæc non dicitur procuratio Abortus, ut patebit. Secundo procurando, ut foetus conceptus quidem, sed necdum animatus ejiciatur. Tertio procurando, ut foetus jam conceptus & animatus abigatur. Quare procurator, abortus propriè dicitur ille, qui id agit studiosè, ut foetus, siue ille animatus sit, siue inanimatus, ex utero abigatur. Quæ procuratio multis modis fieri potest, puta potionibus, percussionibus, magnis itineribus, laboribus, oneribus magnis prægnantibus mulieribus impositis, aliisque sexcentis modis, quos idemdem perditatum mulierum excogitat audacia, vel libido, & obiter tangit Bulla Sixti V. citata. Quibus adde usitatum illum fascinantium vetularum modum, ut per maleficia procurant abortum.

RESOL. III.

De penis procurantium abortum ex jure Canonico, & Civili. Ex p. 7. tract. 5. Ref. 3.

§. 1. **C**ontra procurantes abortus Concilium 11. Clerdense *Can. 2.* sic statuit: His qui abortivum faciunt, vel natos suos extinguunt, post septem annorum curricula, communicatio tribuatur, *Synodus 6. Generalis can. 9.* Quæ pharmaca abortum facientia procurant, vel quæ venena suscipiunt perimentia partus, pena occisoris acculentur: & Stephanus Papa. D. Humberto Episcopo Moguntino, *cap. consulisti 2. quest. 5.* Si ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est quanto magis, qui unius saltem diei puerulum peremit, homicidam se esse excusare nequibit? & si aliquis, de homicid. volunt. Qui homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, ut homicida tenetur. Sed non reipsa, & opere commissum; idè si foetus nondum erat animatus, antea nulla contrahebatur irregularitas *cap. sicut ex litterarum, de homicid. Glossa ibid. & cap. si aliquos, eod. tit.* cum hæc non contrahatur, nisi homo jam actu animatus interficiatur.

2. Civiles autem leges decernunt in eisdem capitulis supplicium, si foetus fuerit animatus; ut etiam fit *cap. 21. Exodi*, dicitur enim in *l. necare, ff. de lib. agnosc.*